



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 196. Et dederunt ei Vinum bibere cum felle mixtum. v. 34.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificarentur, & in illo loco, qui dicitur Calvaria locus, id est locus capitis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Salvatoris qui ibi passus est, & resurrexit. unde S. Ambrosius in Lucam, *congruebat ut ibi vita nostra primordia locarentur, ubi fuerunt mortis exordia*: ubi ergo iacuit saucius, qui descendens ab Hierusalem in Iericho, cum incidisset in latrones, laesus est ibi merito offendit eum medicus & infudit ei oleum & vinum.

**O** Bone Iesu ecce hic locus ille desideratus à te, post casum Adami primi Parentis & filiorum ejus ut ibi medicinam ferres: ecce hic locus sacrificii & oblationis ad placandam iram Patris, ecce hic locus saucii Samaritanici, & peccatorum omnium. Tu igitur in hoc loco esto oblatio nostra, placatio nostra apud Deum Patrem ut in sanguine tuo hic effuso omnes lavemur, omnes sanemur à peccatis & iram quam peccando succendimus graviter, hic tu mitiges, hic nos reconcilies, ut tecum valeamus cum Patre in æternis montibus quandoque habitare & lætari.

§. 196. Et dederunt ei Vinum bibere cum felle mixtum. v. 34.

Unus in corpore Christi restabat sensus vel organum, quod nunquam passum fuerat aliquid singulare, eius scilicet lingua, ut igitur & illa pateretur, dederunt ei vinum felle mixtum in summa sua siti & ariditate, ita ut bene posset probari Christum in omnibus suis membris passum fuisse, nullo exempto, & pro nobis quidem qui in omnibus membris peccamus quotidie & peccavimus: si enim solum vinum dedissent, lingua sensisset aliquid forte refrigerium, in tantis tormentis & siti, sed ut nec illud habere posset quidem in extremis, (quod tamen nulli reo ad supplicium negatur) miscerunt iniqui fel & portexerunt ei, quod fel amarissimum gustum habet, naturæ humanæ contrarium, quia in sua substantia valde exolum est in odore, & sapore amarum, nec sine mysterio crede hoc ita factum. voluit enim Dominus Iesus Salvator noster & in siti & lingua pati ad extinguenda tam turpia & enormia peccata iuramentorum, detractionum, gulæ, ebrietatum, commestationum & aliorum quæ per linguam exercentur vitiorum, quorum Alphabetum exhibet, Drexelianus Orbis Phaethon, ut inde sumeremus exemplum & horrorem, non abutendi lingua sive in sermone sive in gustu, unde Iesum Salvatorem offēderemus, sed jugiter teneremus reminiscētia Christi amarissimum potum, & desisteremus ab omni peccato linguæ & gulæ: & illi quidem, juxta revelationem S. Birgittæ dant Christo Domino fel bibere, qui gaudent in peccato perpetrato, nec descendit in corda eorum cogitatio, quam grave sit & multiplex delictum suum.

Q. misc-



**O** Miseria! Christus Dominus in cunctis membris suis pati voluit, ut nos membris omnibus laesos, perfectè sanaret, & quia multi per voluptatè linguæ iuramenta, mendacia, blasphemias, detractiones, &c. mala effutiunt, idcirco Dominus Jesus ista per felle; potus cruciatum expiare voluit. Heu quantos hodie invenire est, qui pene pro nihilo ducunt, Deum offendere per gulæ vitia, & blasphemias, detractiones & horrendas contra Deum execrationes, & contumelias in ejus sanctos ejaculatas!

Hæc ô homo rationalis, considerando nonne nos pudere deberet, quod tam intemperantes usque modo fuerimus, ut toties vile corpus ad superfluitatem & super naturæ saturitatè impleamus potu & cibo ad redundantiam, ita ut pulcherrimam illam Dei imaginem defodere, rationem turbare, & ad bestia deformitatem redigere velle videamur. Desistamus ergo vel nunc ploremus, emedemus, si sapimus, in tempore, & petamus veniam, ne vindex veniat Deus in tempore quo non speramus, & nos loco moveat.

Et tu ô corpus meum, quid cogitare poteris, & expectare nisi tui ruina & perditionem, quod tam lautè, à tempore iuventutis tuæ enutriris volueris, quod volupe fuit & dulce, quærivisti & captasti semper, quod amarum & rationale hoc displicuit, & quantum in te fuit, longe fecisti à te. ô quoties sic Deum offendisti? crapula, in ita, in acedia, concupiscentia? & tu ô anima mea considera, quomodo rexeris corpus tuum uti ejus gubernatrix à Deo constituta, quomodo rationem dabis de villicatione tua in stricto illo extremo iudicio? Dic igitur citò & hodie & quidem hoc momento, revertar ad saniolem mentem, corpus mihi subditum gubernabo in omni modestia, temperantia & virtute, ne ulterius felle mixtum potum lesu meo propinem. Tu autem ô lesu, aspira, tu gratiam concede & fortitudinem.

§. 197. *Et cum gustasset noluit bibere. v. 34.*

Considera hic temperantiam lesu, ô homo, gustat enim solum & non bibit, ut mortificaret appetitū, & pateretur acerrime etiam in sensu gustūs, & siti naturali post tot exantlatos labores, itinera diversa, vigiliis, sudores, emissiones sanguinis, verbera, crucis bajulationem, & hoc ut ne vel minimam delectationem hauriret, in toto suæ Passionis, decursu.

**O** Si te imitarem, mi lesu, ut quoties flavescit vinum in vitro & per appetitum impellor quodammodo ad bibendum vel ad saturitatem vel etiam ultra eam, ex consuetudine mala vel societatis perversitate, ut tunc gustarem solum & non biberem, ultra quam ratio dicitur memor sobrietatis & mortificationis tuæ! quam me felicem putarem! quam varia peccata vitam.

R a

Sed